



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607

S. Evstathivs Patriarcha Antiochenvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

Achyronem vna cum præposito, qui Ariana peste infectus, Imperatorem semper in orthodoxos concitavit, profugit, ubi à Gothis igne concrematus perit.

Ob hanc igitur dicendi libertatem, & rectæ fidei professionem, & quod imperatori mortem prædixisset, clarus magnæque habitus: reliquum vitæ tempus Constantinopoli vrbe imperatrice transegit, ac tandem ad Dominum emigravit.

ANNOTATIO.

HANC de Isaacio viro sanctissimo historiam Theodoretus lib. 4. c. 30. Cedrenus, Zonaras, Nicephorus in Valente confirmant, adduntque, præter alia, Isaacium in vinculis prædixisse necem illius, eo ipso tempore quo concrematus interiit. Refertur hæc historia in Menologio iisdem præne verbis.

S. EVSTATHIUS PATRIARCHA ANTIOCHE. s. Iunij.

NVS.

Hic Constantini M. primi inter Imperatores Christiani ætate vixit, & in omnes orbis partes rectæ fidei & sapientiæ radios distulit, qui in prima Nicæna Synodo interfuit, veræque religionis disciplinã tradi-

tradidit; & eorum fundamenta euertit, qui diuinam secare naturam conabantur, & filium dignitate & maiestate patris priuare, inferioremq; dicere. Quare cum propter huius viri diuinam præsentiam, & ob recte fidei defendendæ singularem ardorem Eusebius Nicomedienſis, & Theognius Nicænus, & Eusebius Cæsarienſis, cæterique quotquot ex Ariana, hoc est impia secta impii propugnatores extitère, inuidia torquerentur, per speciem visitationis in transitu (nam Hierosolymam iter subornarât) vbi Antiochiam peruenere, ei dignitatem patriarchatus communibus sententiis abrogant; causam aiunt fuisse, mulierculam quandam impuram, magnis fatigatam donis ab Arianis, quæ recens modo editum adferret infantem, & diceret apud Episcopos, eum se ex consuetudine cû Eustathio habita peperisse: cum ipsi essent huius fabulæ architecti, accusationem solo iuramento confirmatam, ratam habuère, & S. Eustathium exauctorarunt. Imperatori persuadent, vti exilij sententiam in eum pronunciet. Ergo per Thraciam * Philippos exulatum mittitur, vbi ad mortem usque mansit. Post centesimum demum annum, imperante Zenone, sacrosanctæ illi-

*Huiusmodi calumnia D. A. thanasio, Simoni Salo, Methodio Patr C. Greg. Agrentino. & aliis impa-
cta.*

**Traiano polim habet Martyrolog. Rom*

us reliquæ Antiochiam sunt translate, vni-
 uerso populo ex vrbe ad decem millia pas-
 suum occurrente, sanctūque corpus cum
 ingenti applausu vocum hymnorumque
 excipiente. Hunc eximius Chrysostronus
 publica laudatione est profecutus. Illa au-
 tem muliercula, quæ S. Eustathio calumni-
 am stupri impegerat, exitiali morbo cor-
 repta, dicitur palam apud omnes impostu-
 ram S. viro factam reuocasse, auctorumq;
 eius falsæ criminationis nomina singula-
 tim edidisse, à quibus se pecunia inductam
 confessa est. Iurandumque non quidem
 falsum omninò dixisse, sed peruerso intel-
 lectu & ambiguo sensu nominis abusam
 esse. nam reuera à quodam Eustathio æra-
 tio corruptam, fætum concepisse.

A N N O T A T I O.

ET hoc Orientis sidus clarissimum à clarissimis
 auctoribus, præter Latinos & Græcos sanctorū
 Fastos prædicatur, inter quos Athanasius, Hiero-
 nymus, Chrysostronus, Theodorus Lector, So-
 zomenus, Socrates & alij. Missus est in exilium à
 Constantino Magno, vt ex Diuo Athanasio osten-
 dit Baronius in apologia Constantini M. & notis
 ad Martyrol. Roman. 16. Iunij, quo die Latini
 huius memoriam celebrant, vt Græci Nonis Iu-
 nij & 9. Cal. Martij.

S. ALE-